

CAPUT I.

DE OFFICIIS LIBERORUM ERGA PARENTES.

346. I. Liberi, ex virtute *pietatis*, tenentur exhibere parentibus amorem, reverentiam et oboedientiam. Parentes enim sunt principia nostri esse et gubernationis: unde, sicut Deo per religionem exhibendus est cultus, tamquam primo nostri esse et gubernationis principio, ita secundo gradu ad pietatem pertinet exhibere cultum parentibus. (2. 2. q. 101. a. 1) Est autem pietas virtus specialis, quia nititur speciali motivo: nam officium et cultum impendit parentibus, quatenus sunt conaturale principium producens in esse et gubernans. (ib. a. 3)

Haec obligatio est ex genere suo gravis, ita ut mortaliter peccet qui in re gravi desit amori, reverentiae vel oboedientiae. Immo facilius hoc peccatum grave est, ubi fit respectu parentum quam aliorum Superiorum: eo quod ratio, ob quam haec officia debentur, plene in parentibus reperitur, minus plene in aliis Superioribus. (S. Alph. n. 333)

II. Contra amoris officium graviter peccant liberi (S. Alph. l. c.):

1° Si signa odii parentibus ostendant eosque aspere tractent. Cum autem pietas strictius urgeat quam caritas, interdum grave erit quod, contra ceteros factum, leve tantum foret.

2° Si modo *habituali* parentes torvo oculo aspiciant vel aspere alloquantur perinde ac si eos odio haberent.

3° Si non subveniant parentibus in gravi necessitate spirituali vel corporali constitutis. Haec obligatio a S. Th. (l. c. a. 2) refertur ad obsequium parentibus per accidens, seu propter accidentalem eorum necessitatem, debitum. Exemplum subsidii temporalis praestandi habes in ope ferenda parenti pauperi, et visitatione facienda aegroto; exemplum subsidii spiritualis, in obligatione curandi ut parens periculose decumbens sacramentis muniatur, et defunctus precibus et oblatione Sacri juvetur. Huic ultimo officio graviter tantum deesset qui, ratione habita facultatum suarum et consuetudinis, *nullam* talium suffragiorum curam haberet. (Ball. P. n. 7)

4° Si non impleant parentum testamenta et legata: quod tamen intellege pro viribus hereditatis acceptae. Similiter debita, tantum ratione bonorum acceptorum, solvere debent.

5° Si parentes interne odio habeant, vel iis mortem optent.

347. III. Contra reverentiae officium graviter peccant liberi (S. Alph. n. 334):

1° Si eos percutiant, etiam leviter, vel manum ad percutiendum deliberate attollant: haec enim, etiamsi leviter adversentur justitiae, graviter opponuntur reverentiae. A peccato saltem gravi excusantur qui parentes usu rationis carentes, ob senium, ebrietatem, etc. sine contemptu vel malitia, verbis vel factis cohibent. (Gury, l. n. 366)

2° Si parentibus praebeant causam rationabilem gravis tristitiae, puta suspectas domos vel pravos socios frequentando, se inebriando, etc. Attamen, si filius haberet justam causam agendi aliquid ex quo praevideret parentes irrationabiliter gravem tristitiam habituros esse, posset hunc effectum malum, ob causam proportionatam, permittere. (n. 14)

3° Si parentes animo deliberato ad gravem iram provocent verbis contumeliosis vel talibus quibus praevideant eos graviter offensus iri. Quoniam verba censenda sint hujusmodi, e variis condicionibus hominum et regionum definiendum est. Sic plura dicta vel facta quae cives honestae condicionis gravi ira vel tristitia afficiunt, inter plebeios parvi vel nihili fiunt.

4° Si maledicta vel convicia in parentes conijciant, eosve gestu vel risu subsannent. Haec tamen non erunt gravia, nisi fiant animo deliberato (qui saepe deest) et praesentibus parentibus, vel coram iis qui praevideantur rem parentibus relaturi. Nam si fieret ita ut parentes nec praesentes essent, nec rem cognoscerent, deesset ratio contumeliae ideoque, secluso animo graviter malevolo, leviter tantum contra pietatem peccaretur.

5° Si parentes pauperes nolint agnoscere vel despiciant. Attamen a peccato, saltem gravi, excusari possent si iis necessaria quidem suppeditarent, eos tamen ob causam justam apud se habere nollent, puta ob grave damnum quod inde liberi paterentur, aut crimen infame quo parentes notati essent; idem dicendum si filius tantum externe dissimularet, sine interno contemptu.

348. IV. Ut oboedientia parentibus praestanda rite definiatur, haec advertite:

1° Dum amor et reverentia semper debita manent, oboedientia cessat urgere quando desinit patria potestas, scil. quando filii majores fiunt vel emancipantur. (n. 469) Attamen filium etiam majorem in patria domo commorantem urget officium oboedientiae erga caput familiae, quatenus haec necessaria est ad rectum societatis domesticae ordinem.

2° Materia oboedientiae praestandae complectitur ea omnia et sola quae ad patriae potestatis finem, vid. ad rectam plenamque liberorum educationem, conducunt. Ideo filii parentibus oboedire non tenentur in rebus illicitis (ut per se patet), neque in iis quae pertinent ad statum eligendum: in hoc enim, saltem pubertatem adepti, sunt sui juris, ita

ut graviter peccent parentes qui liberis certum quemdam statum obtrudant, eosve a statu religioso, clericali vel conjugali amplectendo, sine justa causa impediunt. Attamen parentes qui in gravi necessitate versarentur, exigere possent ut liberi sibi assisterent donec necessitas cessaret. (n. 346, II)

3^o Ut liberi graviter delinquant, transgrediendo aliquod praeceptum parentum suorum, necesse est ut datum fuerit *expressum* et *serium* praeceptum et quidem *in materia gravi*. (S. Alph. n. 335)

Igitur a gravi culpa excusantur quotiescumque parentes verbis mere suadentibus utuntur. Quenam materia censenda sit gravis, prudenti iudicio est definiendum: generatim ea erit, qua ommissa, grave detrimentum patientur parentes, domesticus ordo, bonum temporale vel spirituale ipsius filii, ut vitare prava consortia, ludos aleatorios, domos suspectas, etc. Non putaverim tamen graviter peccatum filium qui ommitteret aliquoties extra tempus Paschale ad sacramenta accedere, si parentes hoc jusserint, rati id esse necessarium ad eum in officio continendum, quod opinatur Lehmkuhl (I. n. 792): nam de tali necessitate judicare ad confessarium pertinet.

Insuper, quando agitur de praecepto quod se ad plures actus successivos extendit, puta ne tardius domum redeat, grave peccatum non erit quando aliquoties id violatur, sed tantum quando *ordinarie* id fiet. (Ball. P. n. 18)

4^o Peccatum illud grave inoboedientiae non est speciatim in confessione accusandum, si materia praecepti jam aliunde sub gravi erat imperata vel prohibita lege naturali vel positiva: nam parentes generatim id sub eodem motivo praecipunt; puta Missae interesse ex virtute religionis; peccata autem non multiplicantur ob plures leges ex eodem motivo latas. (n. 163; Ball. P. n. 19)

Excipe tamen, si (quod rarum est) peccatum inoboedientiae *formalis* committeretur, nempe si filius praeceptum parentum violaret ea praecise intentione ut illud violaret. Hic enim est verus contemptus: qui si cadit in ipsam potestatem tamquam nullius momenti, vel in ipsum praecipientem, ita ut filius absolute illi parere nolit, peccatum grave erit et diversae speciei a reliquis. Cfr. n. 108. Attamen, si contemnitur tantum persona ob defectum prudentiae, probitatis, etc., et ex hoc contemptu violatur aliquod ejus praeceptum in re levi, non recusata oboedientia in rebus majoribus, peccatum videtur leve. (Lessius, de Just. et J. c. 46. n. 45) (1)

5^o Filius minor nec emancipatus a domo paterna discedere nequit

(1) Haec doctrina de malitia inoboedientiae applicari potest transgressioni praeceptorum cujuscumque Superioris.

sine patris sui licentia. Ita jubet lex civilis (C. C. a. 374) quae, cum jus naturale determinet, in conscientia servanda est, excepto casu vocationis ad statum clericalem vel religiosum. Hinc, saltem ubi vigent similia jura, nequit filiusfamilias e domo paterna proficisci ad artem aliquam addiscendam vel quodvis honestum vitae genus amplectendum: quod per se licitum reputant multi Theol. (Laymann, l. 3. tr. 4. c. 8. n. 13)

Militiae nomen dare nequit filius minor, in Belgio, sine consensu patris vel matris viduae, vel tutoris si utroque parente orbatus est. (Legis 3 Jun. 1870. a. 100) Sic correctus est a. 374 C. C. Napoleonici quo id, completis 18 annis, permittebatur.

6^o Liberi qui in studiis negligentes sunt, duplici de causa graviter peccare possunt: ob damnum quod parentibus inferant, ob praeceptum parentum quod transgrediantur. Secluso igitur stricto praecepto, filius parentum divitum, notabiliter studia negligens, non peccabit graviter. Facilius grave erit peccatum, si parentes mediocri tantum condicionis sunt: saepe tamen, ob aetatis inconsiderationem, leve erit; neque, ubi fructus sperari nequit, illius *gravitas* studentibus inculcanda videtur. (Ball. P. n. 88)

CAPUT II.

DE OFFICIIS PARENTUM ERGA LIBEROS.

349. I. Parentes ex virtute *pietatis*, tenentur ad amandos liberos et ad eos tum quoad corpus, tum quoad animam educandos: quae obligatio, ex ipso jure naturae oriunda, ex genere suo gravis est.

Deficientibus parentibus, ascendentes, ut avus, avia, eadem obligatione tenentur; avus paternus ante maternum, quia, ex ordine generationis, succedit patri. Saepe parentum defectum supplet lex civilis, dato tutore vel curatore.

Extenditur haec obligatio ad filios etiam illegitimos vel spurios: nam par est fundamentum in naturali generatione. His ergo debentur alimenta, saltem secundum condicionem parentis qui vel quae inferiorem statum obtinet. (Decr. l. 4. t. 7. c. 5)

II. Officio amoris graviter desunt parentes qui:

1^o Odio habent vel tam aspere tractant liberos ut hi merito inde grave odium in corde parentum foveri autument; item si iis gravia mala ex animo, non autem (ut plerumque fit) ex inconsiderato impetu irae precantur.